

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Pridem in votis habui ut observantiae debitae caussa aliquas ad Ill/mam T.G. litteras darem. Nunc vero quando Wibrandus Andrea vester quondam familiaris, modo autem apud nos degens me, num quid scribere vellem, interrogavit, nolui omittere quin hisce eam salutarem, et omne meum obsequium humiliter offerrem. Sunt hic nobis proh dolor heretici non solum confines, sed etiam immixti quibuscum continuum est nobis certamen. Hoc tamen ausim dicere, et de Domini bonitate confidere, non adeo de haeresis contagio nostros periclitari, quin bonis antidotis bonoque Ecclesiastico et politico regimine Belgium paulatim Dei gratia ab haeresi expurgari posse videatur. Plures enim ab haeresi ad fidem catholicam convertuntur, quam ab haereticis pervertantur. Id solum deplorandum in provinciis foederatis Magistratum tyrannide catholicae Religionis exercitia impediri. Juvat tamen non parum caussam nostram quod inter se Calviniani jam divisi sint, una parte Gommario quodam duce rigidum calvinismum retinente, altera per limam Dei Verbi antesignano quodam Arminio corrigente Calvinii errores in argumento de libero arbitrio, praedestinatione, certitudine salutis, justificante fide, imagine Dei in homine, possibilitate implendae legis, peccato originali, corruptione naturae, justitiae amissibilitate et similibus. Dissidio isti remedium conantur adhibere confoederati Ordines. Sese caput Ecclesiae istius jam declararunt, et quasdam controversias definire coeperunt. Sed eò magis speramus id successum non habiturum, quod factio Gommariana omnino in eo persistat penes politicum Magistratum esse non posse jus decidendi fidei controversias. Rogandus Deus ut dissipet adversariorum consilia contra Ecclesiam suam, eique Ill/mam G.R. diu servet. Antverpiae 21 Augusti 1614.

Ill/mae ac R/mae G.T. obsequiis devotus

Joannes Episcopus Antverpien.